

## ADDITIO AD MISSALE ROMANUM

Die 23 septembris  
S. Pii de Pietrelcina, presbyteri

*De Communi Pastorum, vel Sanctorum: pro religiosis*

*Collecta*

Omnípotens sempítérne Deus,  
qui sanctum Pium, presbýterum,  
crucis Fílii tui singulári grátia partícipem esse donásti,  
et per eius ministérium misericórdiae tuae mirabília renovásti,  
concéde nobis, ut, eius intercessióne,  
passiónibus Christi iúgiter sociáti  
ad resurrectiōnis glóriam felíciter perducámur.  
Per Dóminum nostrum.

ADDITIO  
AD ORDINEM LECTIÖNUM MISSAE

643 bis                  Die 23 septembris  
                                  S. Pii de Pietrelcina, presbyteri

- |          |                               |
|----------|-------------------------------|
| LECTIO I | Gal 2, 19-20; n. 740, 5.      |
| Ps. RESP | Ps 127, 1-2.3.4-5; n. 739, 8. |
| ALLELUIA | Lc 21, 36; n. 741, 7.         |
| EVANG    | Mt 16, 24-27; n. 742, 6.      |

**ADDITION  
AD LITURGIAM HORARUM**

Die 23 septembris  
S. PII DE PIETRELCINA, PRESBYTERI

In vico Pietrelcina apud Beneventum in Italia ortus est anno 1887 et, Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum ingressus ac sacerdotio auctus, praesertim in conventu oppiduli Sancti Ioannis Rotundi in Apulia summa cum pastorali deditione ministerium prae-  
buit, fidelium spirituali moderatione paenitentium reconciliatione et providenti erga infirmos pauperesque cura, populo Dei inserviens in oratione et humilitate. Christo crucifixo plene configuratus, die 23 septembris 1968 peregrinationem terrenam complevit.

*De Communi Pastorum, vel Sanctorum: pro religiosis, praeter sequentia:*

**Ad Officium lectionis**

**LECTIO ALTERA**

Ex Litteris sancti Pii de Pietrelcina, presbýteri

(Editio 1994: II, 87-90, n. 8)

*Lapides aedificii aeterni*

Paráre divínus Artifex lápides, quibus aedificium aetérnum ex-  
struat, quaerit assíduis tunsióibus scalpri salutíferi et diligénti expo-  
liatióne, uti mitíssima mater nostra, sancta Ecclésia Cathólica, canit  
in hymno officii dedicatiónis ecclésiae. Et sic vere est.

Anima quaeque ad aetérnam destináta glóriam se óptime lapis ad

aedificium aeternum erigendum constituta definire potest. Structori aedem erigendam quaerenti optime primum lapides ipsam exstructuras expolire oportet. Quod ille mallei scalprique tunsiōibus consequitur. Pariter vero Pater caelēstis in animas electas se gerit, quae, inde ab aeterno, summa sapientia ac providentia Eius ad aedificium aeternum erigendum destinatae sunt.

Anima autem ad regnandum cum Christo in gloria aeterna constituta mallei scalprique tunsiōibus expolienda est, quibus uititur divinus Artifex, ut lapides, seu scilicet animas electas, paret. At quae mallei hae scalprique tunsiōes? Umbrae, soror mea, timores, temptationes, spiritus maerores ac spirituales timores aliquam aegritudinem olentes, et moléstiae corporis.

Gratias, ergo, agite infinitae pietati aeterni Patris, qui sic animam vestram ad salutem deputatam gerit. Cur non gloriari benivolis his optimi ex omnibus patribus adiunctis? Aperite cor huic caelesti animarum medico et tradite vos omni fiducia pleni sanctissimis eius brachiis: qui vos tamquam electos gerit, ut communis Iesum super clivum Calvārii sequamini. Laetitia ego et sollertia animi motu quomodo in vobis gratia se gesserit considero.

Haud dubitetis quin omnia, quae animae vestrae occurserunt, Dominus ordinaverit. Ne timeatis ideo in malum seu iniuriam Dei incurrire! Sufficiat vobis scire in tota vestrae vitae ratione numquam offendisse Dominum, qui immo magis magisque celebratus est.

Si hic benevolentissimus Sponsus animae vestrae latet, id facit non quia, ut existimat, de perfidia vestra vindicare velit, sed quia amplius periclitatur ille fidelitatem ac constantiam vestram et emendat vos praeterea a morbis quibusdam, qui tales oculis carnalibus non videntur, morbi scilicet culpaque illae, quarum ne iustus quidem immunis est. Dicitur enim in sacris paginae: «Sépties enim cadet iustus» (*Prov* 24, 16).

Et credite mihi, quia, si tam afflitos vos nescirem, minus laetarer, cum Dominum intelligerem minus vobis donare gemmas ... Ecite, sicut temptationes, dubia adversa ... Ecite et dubia, quae ad vestrae pertinent vitae rationem, scilicet quod divinas vocaciones non auditis

et dulcia obsistitis invitamenta Sponsi. Quae omnia non ex bono spiritu, sed a malo procedunt. De diabolis agitur artibus, quae, ut a perfectione abeat vel saltem iter ad eam retardatis, attendunt. Ne demittatis animum!

Quandisque pandat se Iesus, gratias ipsi agite; si se abscondit, attamen gratias agite: omnia deliciae sunt amoris. Cupio vos cum Iesu super crucem spiritum tradere et cum Iesu exclamare: «Consummatum est!» (*Io* 19, 30).

*Responsorium*

*Eph* 2, 21-22

R. In Christo Iesu omnis aedificatio compacta crescit \* in templum sanctum in Domino.

V. In quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spíitu. \*  
In templum.

*Oratio*

Omnipotens semperne Deus, qui sanctum Pium, presbyterum, crucis Filii tui singulari gratia partipem esse donasti, et per eius ministerium misericordiae tuae mirabilia renovasti, concede nobis, ut, eius intercessione, passionibus Christi iungiter sociati ad resurrectonis gloriam feliciter perducamur. Per Dominum.